

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Atlas minor Gerardi Mercatoris**

**Mercator, Gerhard**

**Amsterodami, 1610**

Russia

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](#)

## RVSSIA SIVE MOSCOVIA.

134

*Regis.  
Nomina.  
Etymon. Mo-  
schovia.  
Situs.*

*Celsi imperii.*

*Soli fertilitas.*

*Animalium va-  
rietas.*

*Imperium.*

*Urba.*

**R**ussia, que etiam *Roxolania* dicitur, gemina est, *Nigra* & *Alba*. Illa Poloniae contermina est, hec Moscoviae pars. Porro *Moscovia* a Moscho amne haud dubie sic dicta, qui & Regia urbi, quam interfluit, sum quoque nomen indidit. Ejus imperium longe lateque extenditur, ac Mari glaciali a Septentrione terminatur, ab Oriente Tartaros, a Meridie Turcas & Polonus, ab Occidente vero Livones & Sueciæ regem vicinos habet. Quo omni tractu ampla ditiones continentur; itaque Moschovia Dux hoc titulo fere utitur: *Magnus Dominus Basilius, Dei gratia Imperator ac Dominator totius Russiae*, nec non *magnus Dux Wolodimiria, Moscoviae, Novogrodie magnae, Pskoviae, Smolenskie, Thwerie, Jugaria, Permia, Viatkiae, Bulgaria, etc. Dominator & magnus Princeps Novogrodie inferioris terra, Czernigoviae, Rezzaniæ, Wolochensis, Rjoviae, Bielloie, Rostoviae, Jaroslavie, Polozkiae, Biellozterie, Udroie, Obdorie, Condimieque, &c.* Immoderata in Moscovia & aspera Aëris temperies, adeo tamen salubris, ut ibi ultra Tanais fontes Septentrionem & Orientem versus nulla unquam pestis saeviat, eti morbum haud dissimilem habeant quem *C. dorem* vocant, qui intellina & caput adeo infestat, ut paucis diebus pereant. Regio in universum neque Vitem neque Oleam, neque paullo suavioris Pomi frugiferam arborem præter Melopepones & Cerasa producit: quum tenciora quaque gelidissimis Boreæ flatibus exurentur: campi tamen Tritici, Siliginis, Milii, Panicique, & omnis genere Leguminum segetes ferunt, sed certa mæsis in Cera & Melle consistit. Silva hic Hercynia immanibus Fers plena. Ea in parte quæ vergit ad Prusiam Vri ingentes & ferociissimi Taurorum specie reperiuntur, quos Buloni vocant. Itemque Alces cervina effigie, & cum carnea proboscide altisque cruribus, & nullo suffraginum flexu, *Zoxia* Moschovitis, a Germanis vero *Helenes* appellati. Præterea Vrfi inusitatæ magnitudinis & prægrandes Lupi atro colore formidabiles. Venatio atque etiam Avium capture nusquam gentium felicior. Nam venaticis Canibus & plagiis omnis genere Feras capiunt, & Asturibus atque Falconibus, quos mirifico regio Peccera præbet, non modo Phasianos & Anates, sed Cygnos & Grues confectantur. Cæterum *Russia* & *Moscovia* regiones amplissimæ sunt. Ejus omnia, Civitates, Opida, Arces, Pagi, Silvae, agri, lacus, flumina, unius Principis, quem Incole magna *Czv*, id est Regem seu Imperatorem vocant, imperio & num subfunt, & quidquid singula commodi ferunt, in unius Principis fiscum congetur. Duces ac Comites, quæ dominium utile in bonis feudalibus liberum possident, & ad hæredes eadem transmittant, nulli sunt. Adicit quidem pagos & agros nonnullis, sed ruficorum operis nihilominus utitur, & rursus cum libet admittit: adeo ut absolutum in subditos omnium rerum imperium habeat, & vici sim tanquam Deus a subditis colatus, eique obedientia omnibus in rebus, absque ulla recusatione praefletur. Caput totius Regni & Metropolis est urbs *Moscovia* vulgo *Moskva*, tū situ suo oportuna, qui regionis medius esse existimat, tum insigni fluminum frequentia celebris, & domorum amplitudine numeroque & munitissimæ arcis robore. Oblongo enim ædificiorum tractu secundum Moschi fluminis ripam ad spatium quinque milliarium extenditur. Domus in universum sunt ligneæ, distinctæ in triclinia, coquinas & cubilia, numerus earum fertur esse supra 41500.

H2

RVSSIA SIVE MOSCOVIA

135



## RUSSIA SIVE MOSCOVIA.

136

Hæ fere omnes & ad usum Olerum , & ad voluptatem privatos habent hortos. Singulæ regiones singulae habent facella. Arces præterea duas habet quarum una *Kitaigorod*, alter *Bolfigorod* appellatur, quas hinc Moschus, illinc Neglinna alluunt. Porro in universa hac Russiæ parte sunt plures alii træctus. *Volodimira* Ducatus, cuius titulum magnus Dux sibi vendicat, nomen habet ab urbe primaria, sita in ripis Clemsæ amnis, qui in Volgam evolvitur. Provinciæ autem hujus ager adeo fertilis est, ut ex uno Tritici modio sæpe viginti modii proveniant. *Novogrodia* inferior illi pastione , agrorum fœcunditate nihilo cedit. Vrbem habet ligneam, dictam communis cum uniuerso Ducatu nomine *Novogrod*, sitam ad Volge & Occæ confluentes. Hæ sumam semper obtinuit dignitatem propter incredibilem adficiorum numerum , latissimique & piscoſi lacuſ oportunitatem , & vetuſiſimi ac venerabilis apud illam gentem Templi famam , quod ante quingentos pç annos Byzantiorum Cæſarum æmulatione, S. Sophia dicatum fuit. Arx hoc loco memorabilis , summi impensis a Basilio Duce ex lapide in scopulo exstructa. Distat omnino urbs a Moschovia c milliaribus Polonicis , ad Rigam vero proximum littoris portum, paullo minus quingentorum milliarium iter est. Rhenan Provincia est inter Occam fluvium & Tanaim, Tritici , Mellis , Piscium , Avium fertilissima : urbes habent lignæas , Rhœzam ad ripam Occæ sitam , & Corſiram , & Collagam & Tullam , juxta quam Tanais fontes confluuntur. Worotinensis ducatus tribus a Colluga miliaribus Civitatem habet & caſtrum ejusdem nominis. Serria , Ducatus est ingens & rebus omnibus adfluens; vastos habet & desertos campos: Opida complura , inter quæ præcipua hæc sunt *Svorob*, *Novogrod Sieverski* & *Cernigow*. Silvæ Hermellis , Aspreolis & Martibus abundant , Mellis quoque copiam ingentem ex Apibus subministrant. Gens propter alſidua cum Tartari bella armis adſueta est & manu prompta. Smolensi Ducatus ad Boryſthenem ſitus urbem habet cognominem , quam parte una Boryſthenes alluit , parte altera cingunt alta fossarum indagines acutis ſlipitibus armata. Sunt & Ducatus Provinciæque *Mofaskia*, *Bielskia*, *Richovia*, *Tweria*, *Pskovia*, *Vodzkg*, *Corrella*, *Bielgoro*, *Wolochda*, *Vſtuga*, *Jaroslavia*, *Roſtow*, *Dwina*, *Suſdals*, *Wiatkia*, *Permia*, *Sibior*, *Ingra*, *Petzora*, & *Nowogroda magna*, quam illi vocant *Nowogrod Wielki*, in qua urbs ejusdem nominis amplissima, ipsam Romanam magnitudine ſuperans. Peizora nomen habet a fluvio quem utrimque montes & invia rupes muniunt. Sunta alia regiones Magno Duci vechigales ad Septentrionem longo traſtu terrarum porrectæ, ut *Obdora* , in qua est idolum *Zolota Baba*, hoc est aurea anus , *Condora*, *Lucomoria*, & *Lappia*. Sunt in Moschovia multi & magni Lacus ; *Ilmen* Ruthenis *Ilmer* , *Ladoga*; Lacus albus Incolis *Bielejzoro*. Flumina etiam ampla & multa sunt : *Boryſthenes* vulgo *Nieper* & *Neſter*, vel cum adjectione littera *Dnieper* & *Dneſter* appellatur. Tarantus is est Ptolemaeo qui Herbersteinio est *Rubo*, incolis *Dwina*. Rha Ptolemæi nunc *Volga* & *Edel*. Tana, accolis *Don*. Occe fluvii caput est in Provincia Mſcenek. Montes Riphæos de quibus Plin. lib. 4 cap. 12. Mela etiam lib 3, Baro ab Herberstein in sua Moschovia ſcribit , in ſola Moscovia videri, qui , qui perpetuis nivibus & glacie rigeant , transiri facile non possint. Hercynia ſilva magnam Moschovie partem occupat , ipsaque paſsim poſitis ubique adficiis incolitur , jamque longo labore hominum rarioſa faci-

*Lacus.**Flumina.**Montes.**Silvae.*

## RVSSIA SIVE MOSCOVIA.

137

non eam sicuti plerique existimant, horridam densissimorum nemorum impenetrabiliumque saltuum faciem ostendit. Habet Moscovia Tempa innumera & sumptuosa, ac monasteria valde multa. Gubernationis negotia & justitia administrationem Dux, per duodecim Consilarios assidue in aula praesentes obit. In hos, praefectura Arcium & Civitatum in toto Moschi imperio distributa sunt: qui literas & libellos supplices Principi inscriptos accipiunt, ejusdemque nomine respondent. Princeps enim ipse nullas epistolas accipit, nec ullis ad subditos suos, vel alios etiam Principes sere literis manu sua subscriptibit. Episcopi ex Monachis quorum Monasteria frequentissima in Moschi imperio, omnia tamen ejusdem vestitus & ordinis, (cujus D. Basiliū autorem referunt) velut sanctioris vita hominibus, deliguntur, & sunt in universo Moschorum imperio undecim, quos *Wladiccas* illi, id est, economos & dispensatores sua lingua nominant. Sacerdotes vero & Presbyteros, *Poppos* seu *Archipoppos*. Horum Metropolita (qui a Constantinopolitano Patriarcha olim confirmabatur, nunc a solo magno Duce delectus per duos aut tres Episcopos consecratur, ac cum liber Principi removetur) Mosquæ sedem habet. Huic Metropolitæ subiecti sunt duo Archiepiscopi, alter Novogardia magna ad Lowtam flu. alter Rostovii. Nec Academie vel Collegia in toto Moschi imperio ulla existunt. Religio Moscovitis Græca: quam anno Domini CCXIX LXXXVII admiserant. Itaque Sp. Sanctum tertiam sancte Trinitatis personam a solo Patre procedere arbitrantur. Sacramentum Eucharistia celebrant pane fermentato, calicis usum universo populo concedunt. Nullis sacerdotum suffragiis, nullaque propinquorum aut amicorum pietate juvari mortuorum manes putant, fabulosumque credunt pugatorii locum. Libros sacros suo idiome legunt, eorumque usum populo non denegant. Ambrosium, Augustinum, Hieronymum atque Gregorium in linguam Illyricam traductos habent; ex his aut etiam ex Chrisotomo, Basilio, Nazianzeno homilia pro concione sacerdotes legunt; neque enim oratores cucullatos, (verba sunt Iovii) qui advocate populo concionari & ambitiose nimis atque subtiliter de divinis differente foliti sint, admittere fas putant; quoniam rudes imperitorum animos simplici potius doctrina, quam altissimis arcanorum interpretationibus disputationibusque ad sanctiorum morum frugem evadere arbitrantur. Matrimonia contrahunt, Bigamiam concedunt, sed vix legitimum matrimonium esse putant. Adulterium non appellant, nisi quis alterius uxorem habuerit. Gens astuta & fallax, magis servitute quam libertate gaudens. Omnes se Principis servos fatentur. Moscovitiæ domi opipare potius quam laute vivunt; namque omnium sere cibariorum genere quo vel a luxuriosissimis desiderari possunt mensæ eorum & parvo pretio instruuntur. Galline siquidem & Anates singulis saepe argenteolis tenuibus nummis veneunt. Venatione & aucupio uti apud nos nobiliora obsonia parantur. Vino nativo penitus carent: itaque utuntur advectione, sed in festis conviviis duntaxat. Habent & Cerevisiam, quam aestate injectis glaciei crustis infrigidant. Sunt & qui in delitiis habeant succum ex subalteris cerasis expressum, qui perspicui & purpurissantis vini colorem jucundissimum & saporem non ingratum refert. Nobile Linum, & Cannabim in restes, multaque Boum tergora & mallas ceræ ingentes, Moscovitiæ in omnem Europæ partem mittunt.

*Senatores:**Ritus & mores:**Vitius:**Mercimonia:*

S.

*Moschovi-*